

I. N. J.

# בְּפָשָׁרֶת אַדְמָן

Gen. XLVI. 26. Exod. I. 5.

Seu, de

ANIMÆ HUMANÆ PROPA-  
GATIONE,  
Dissertatio Philologico Psychologica,

Quam

Permissu Amplissime Fac. Phil.

PRÆSIDE

D:no ISAACO BORGESUNDI

L L. Sacr. Profess.

In Acad. Aboënsis Auditorio Maximo,  
horis diei XV. Maji solitis A.

MDCCXXXI.

Examinandam sifit

CAROLUS FRID. MENNANDER,

O. Botn.

---

ABOÆ, Excud.R. Acad. Typ. J. Kiämpe.

Maxime. Reverende.

# MAG. DANIEL.

S. Theologiae. Apud.  
Consistorii. Utriusque.  
Ecclesiæ. Cathedralis. Fen-  
Patrone.

Evergeta.  
Ti-

Ob. Innumera.  
Bene-

In. Grati. ani-  
Rudem. hanc.

Cum, omnis. gene-  
humil-  
D. D.

A. &

atque. Amplissime, Domine.

# JUSLENI.

Nos. Professor. Celeberrime.

Affessor. Gravissime.

amicæ. Antistes. Vigilantissime.

Summe.

Benignissime.

bi.

qvæ. mihi. præstitisti.

ficia.

mi. signum.

Dissertationem.

ris. felicitatis. voto.

lime.

**D.**

admodum. qm. tunc i. tenuissimam. illud.

admodum. qm. tunc i. tenuissimam. illud.

**R.** admodum. qm. tunc i. tenuissimam. illud.

admodum. qm. tunc i. tenuissimam. illud.

admodum. qm.

admodum. qm. tunc i. tenuissimam. illud.

Konal.

Tro Lienare och Håradshöfdinge/  
Ådel och

# Herr ABRAHAM

Min Högtående

**S**ör den gunst och hinnest stora / som  
Mig bewist / jag tänkt omsider  
Och se til här skulden lättas kunn  
At mitt förråd mot den minsta gifl-  
Ehy til pant af tacksamt sinne / jag nu  
Första frucht af ungdomis sinne / som  
Beder ödmjukt / Farbrot fäckes taga  
At med tiden funna wisa något bätt-  
Elijest wördsamt i mitt minne ståds  
Af det goda som jag niutit / tils jag blir  
Skal och aldrig underlåta / efter mig  
Din Herr Farbrors långa wålgång

Min Högtånde

Ödmjukaste  
Carl Fridric

Maj:ts  
öfver Piikis och Halicko Håradet/  
Högachtad

# PALEEN,

Herr Farbroder.

Herr Farbroder en tid lång  
räkning gjöra någon gång;  
de: men ach jag besan/  
dens del ej svara kan.  
Endast här frambrå  
doch heel omogen är.  
Den doch gunstigt op/  
tre / är mitt hopp.  
Tanken vara stal/  
i munnen fall,  
ej annat kan /  
Gud den Högste ropa an.

Herr Farbroders

Dienare  
Mennander.

Vir admodum Reverende atque  
Praclarissime,

# Dne. ANDREA MENNANDER,

Ecclesiarum, quæ in Ilmola Deo col-  
liguntur, Pastor & Præposite Vigilan-  
tissime, Pater Carissime.

Cum hoc de animæ propagationi  
evulgarem exercitium, inveni  
neminem, cui majori jure, quam  
Tibi, cui ipsam animam debeo, Pa-  
ter Carissime, id inscriberem. Adeo  
etiam sollicite educationis & infor-  
mationis meæ curam egisti, adeoque  
multas, ab eo in primis tempore,

quo

quo Academiam frequentare mihi  
licuit, in meum commodum eroga-  
sti impensas, ut omnem remuneran-  
di facultatem jam olim debiti ex-  
hauserit magnitudo. Hinc quemad-  
modum naufragus Ulysses nihil, quod  
pro ingentibus meritis rependeret, ha-  
buit: ita nec mihi, grati erga Te,  
Parens optime, animi indicium os-  
tensuro aliud superest, quam fætus  
hic qualiscunque ingenii, & ipse  
Iua cura quasi obstetricia, tuis  
que sumtibus lucem videns. Suscio  
pias illum, Pater Carissime, beni-  
gne, & maturiores fructus, si

Deus


Deus voleat, etate maturiore exspecta.  
Quod superest, opto, velit sum-  
mus rerum Moderator Iibi Nesto-  
reos annos, omni felicitate coronatos,  
in Ecclesie commodum, mensu-  
gaudium & auxilium, concedere.  
Sic constanter vovet,

Patris sui Carissimi

Filius ad cineres ob-

dientissimus,

Carolus Fridericus Mennander



I. N. 7.

CAP. I.

CONSPECTUS.

**V**ia ad institutum §. I. munita, voces, qvas titulus exhibit, Hebræas ordine interpretamur, ex quibus propagationem animæ probari ostendimus: quæ benedictione primæva, & creatione Evæ stabilitur ulterius. Hinc animam non totam a pa-



tre

tre solo, nec matre sola, sed ab utroque parente propagari, sed non ex materia, probabiliter statuimus: in primis, cum peccatum alio modo in nos, quam per propagationem, descendere nequeat.

## §. I.

**P**Ostquam Deus Ter Optimus Maximus, opifex ille sapientissimus, omnia inanimata & animata cetera, non manibus, sed verbo quo jussit, virtute qua potuit, ordinèque quo voluit, fabricasset: ultimo loco hominem, cuius usui reliqua destinaverat, produxit. Haud secus acqvi gymnicos exhibet ludos, non antea spectatorem admisit, qvam omnia, quibus sensus oblectantur, parata habeat. Sed prout homo ultimo, & quidem familiaris Numinis cura

cura condebatur; ita rerum  
 creatarum est nobilissima: non  
 tam corporis respectu, quippe  
 quod e terra formatum, miseri-  
 is mortique obnoxium est; quam  
 animæ immortalis & Divinæ.  
 Cum autem turpe sit, alia sci-  
 re, se ipsum vero nescire: ego  
 vexatissimam illam inter Theolo-  
 gos æque ac Philosophos con-  
 troversiam, de animarum no-  
 strarum origine, iis quibus vitæ  
 obsequium debeo jubentibus,  
 pro modulo ingenii hic decido.  
 Te autem, Benevole Lector,  
 qua par est observantia rogatum  
 volo, ut ausibus meis juvenili-  
 bus facilem tribuas veniam. Zoi-  
 los nihil moror.

§. II.

**H**Aud inutile fore putamus,  
 si in limine statim earum,  
 quæ inscriptionem opellæ nostræ

lingua Mōsaica efficiunt, vocum  
enodationem aggrediamur. Pri-  
mo se loco nobis sifit υδος,  
quæ vox, dum de hominibus  
dicta iævenitur, semper animam,  
licet interdum quatenus animat,  
ut Gen. 19. 17. interdum qvate-  
nus affectibus & cupiditatibus  
prædita est, ut Prov. 13. 2. Ps.  
27. 12. potissimum tamen ipsam  
partem nostri esse[n]tiale[m], in  
principe sua facultate, mente  
ac ratione, significat. Non pos-  
sumus tamen ire inficias, hanc  
vocem alicubi in scripturis per  
synecdochen totum hominem,  
ideoque & corpus simul notare,  
prout Gen. 2. 7. immo & in i-  
is, quæ nostræ jam sunt consi-  
derationis, dictis: ita tamen,  
ut specialius & directe de anima,  
quæ fundamentum est prædica-  
tionis, accipiatur: altera vero  
pars denominationē totius com-  
positi

positi in unione participet. Tam  
en autem synecdochē, quam  
viri multi alias eruditī vo-  
lunt huic voci in nonnullis scri-  
pturā locis affingere, ex gr.  
Lev. 19. 28. ut nimirum per  
~~שׂנְדָבָר~~ intelligatur, nos nul-  
li possumus admittere. Synec-  
dochē enim partis pro parte  
sanior ignorat Rhetorica. Sed  
et quo, ut putamus, nisi potiori  
jure his locis intelligimus animā,  
& quidem corpore solutam: quū  
& phrasis dubia ~~תְּהִלָּה~~ Num.  
6. 6. per locum parallelum  
~~תְּהִלָּה~~ Lev. 21. 11. plene expe-  
diatur.

§. III.

**V**erbum ~~נֶסֶת~~ late quidem o-  
mnem egressionem, strictius,  
vero filii ex patre suo generatio-  
nem, ut 2. Reg. 20. 18. etiam  
nepotum ex avis suis, denotat.

No.

Nostris locis utraque hæc acceptio locum invenit: tam enim nepotes, quam filii Jacobum in Ægyptum iter facientes comitabantur, quorum nomina longa serie Gen. 46. c. recensentur. Hic obiter notamus participium plurale constructum, quasi *egressores femoris* dicat: quemadmodum & saepe alias participia cum nominibus diversi casus in statu regiminis construunt solent. Quo casu & præpositio וְ, quæ aliquin ad hujus phraseos constructionem pertinet, exclusa est. Cujusmodi elisio, & mutatae constructionis forma, etiam alibi, ut חווית אהבה Cant. 2. 5. obvia est. Ceteroqvi verbum hoc נִזְמָן materiae generationis adeo factum est familiare, ut ista notio in nomina quædam inde derivata se propagarit, ceu נַצְנָן & נַצְנָן וּצְיָה de fœtu, prole, prognatis

gnatis valent; פָּנָסְתִּים plane de-  
æterna Filii Dei generatione  
Mich. 5. 2. legitur.

§. IV.

**D**enique יֶרַךְ sensu proprio  
femur denotat, quemadmodum & Græci interpretes id  
constanter fere per μηρός reddunt.  
Sed ut sunt, qui hoc Græcorum  
nomen etiam de crure exponant:  
ita Gussetius contendit, ut eam  
significare animalis partem, quæ  
pedem, suras & femur usque  
ad lumbos continet. Hinc figu-  
rate, ob viciniā membrorum  
spermaticorum, in generatione  
describenda, tam nostris locis,  
quam Jud. 8. 30. cum eodem  
verbo usurpatūr. Eodem plane  
modo vocem פָּנָסְתִּים, qui  
organā interiorā geniturā p̄-  
parantia complexa tōvent, ad-  
habitam legitimus, comite itidem  
on misericordib⁹ et mutato verbo  
נָסְתִּים.

verbo נֶגֶד, Gen. 35. 11. 1. Reg. 8. 19. 2. Chron. 6. 9. Unde & illud Apostoli ἔξεχεται εἰς τὸν οὐρανόν, ortum traxit. Nam sicut lumbi femori in ea regione, ubi organa generationis latent, juncta sunt; ita utraque vox hoc generationis significat negotium. Nec procul hinc ab ludit בְּרֵבָה, viscera vel venter, sed eandem potius exprimit rem, & quidem eidem connexum verbo, Gen. 15. 4. 2. Sam. 7. 12. &c. 16. 11. 2. Chron. 32. 21. ea enim, quæ insunt lumbis, hoc nomine veniunt. Ut nihil addam de vocabulo בְּרֵבָה venter, uterus, quod Job. 3. 11. eandem format phrasin. Notandum tamen est, his duabus tantum postremis vocibus vim feminarum generatricem exprimi; virorum vero omnibus quatuor promiscue denotari. Nulli tamen, praeter nostrum יְהוָה, adjunctum nomen

men וְנִ видимus. Præterea ex hoc nominis גַּד usu in generationis negotio, ortum putant ritum illum apud Patriarchas, ut manu femori alterius imposta, quasi veneratione Messiae a semine suo oriundi, jurarent, Gen. 24. 2. 9. & c. 47. 29.

### §. V.

**V**ocibus sic quodammodo expositis, facilior est ad ipsam rem accessus. Cum itaque pateat, וְנִ semper animam, interdum solam, interdum cum corpore, nunquam solum corpus notare: נִ generationem in multis Scripturæ locis exprimere: גַּד denique in illis loquendi forinis, generationis significare vaia: quibus vocibus jam compositis, existimaverim ex his dictis haud invita duci consequentia, animas liberorum una cum corpore a patre propagari.

gari. Hæc enim verba sunt  
 כל הנפש היבא... מosis Gen.46.26. ליעקב מסרומה יצאי ורכו  
 omnis anima veniens cum Jacobo in Aegyptum,  
 egressæ e femore ipsius. Ita Exod.  
 ויהי כל נפש יצאי ויך ועקב שבעים נפש fuit omnis anima,  
 egressæ e femore Jacobi, septuaginta anime. Heic alicui forte dif-  
 ficultatem pariet diversitas nu-  
 merorum, ut putet plurale יצאי non posse epitheton singularis  
 nominis נפש esse, sed hæc poti-  
 us in regimine cohærere. Ve-  
 rum sciendum, נפש, ut saepe  
 alias, ita in his locis nomen es-  
 se collectivum, adeoque ei non  
 repugnare constructionem cum  
 plurali. Quod ipsum & prioris  
 dicti versus proxime sequens 27.  
 luculenter probat, ubi נפש nu-  
 merali binario יוניש, quod a-  
 lioquin singulare per naturam  
 non admittit, eadem prorsus ra-  
 tione

tione jungitur. Deinceps statui  
 regiminiis obstat  $\eta$  illud, emphaticum  
 $\tau\alpha\omega\delta\omega$  præfixum. Por-  
 ro si hæc in regimine se mutuo  
 respicerent, absurdum evitari  
 non posset. Aut enim  $\omega\delta\omega$  hic  
 de toto homine, aut de anima  
 tantum, est intelligendum. Si  
 hoc : anima sola natorum Jaco-  
 bi diceretur in Aegyptum veni-  
 se. Sin illud: nulla potest rati-  
 one percipi, quid hæc sibi velit  
 constructio, qvum & sequens  
 $\omega\delta\omega$  necessario de toto homine  
 sit prædicandum: nam sic foret,  
 $homo hominum egressorum$ : quod  
 absurdum. **C**asus enim partiti-  
 onis Latinorum hic nullum ha-  
 bet locum. Tandem constans  
 illa est observatio,  $\omega\delta\omega$  in gene-  
 re masculino de homine toto tu-  
 furpari ; in feminino tum de a-  
 nima, tum de subiecto toto.  
 Hinc elucidere putamus rationem  
 in-

inscriptionis, יְאֵן שָׁפֶשׁ, h.  
e. animæ e femore egressæ, seu  
quod eadem recidit, propagatio  
animæ.

## §. VI.

**H**anc Mosis de animæ propa-  
gatione assertionem Mosai-  
co potissimum firmamus argu-  
mento. Namque insigne ei ro-  
bur addit benedictio illa, quam  
primordio rerum tam generatim  
omnibus animalibus, quam spe-  
ciatim homini, Gen. 1. 22. 28. c.  
§. 2. c. 8. 17. c. 9. 1. impertiebat  
Creator. Cujus vi, cum videa-  
mus bruta animantia omnia, si-  
bi similia generare; haud levi-  
assequimur conjectura, quod e-  
tiam homo non modo corpus,  
partem ignobiliorē, sed totum  
hominem anima & corpore con-  
stantem generet: nisi bestiam  
hic in re majori quam homi-  
nem

nem gaudere perfectione statu-as. Quid quod sic nec genera-retur homo, sed cadaver? a no-biliori enim parte, anima, ho-mines denominamur. Immo, existimaverim ipsum Mosen de-incepit affirmasse, benedictionem hanc primævam, vim suam et-iam in hominibus exseruisse: di-citur enim Adamus generasse fi-lium ad imaginem & simili-tudinem sui, Gen. 5. 3. Quo-fane loco generationi paternæ tanquam causæ manifeste ad-scribitur iste effectus, qui quam maxime in anima est quærendus.

### §. VII.

**P**Ræterea ut Mosen undique sibi consentientem habeamus, juvat narrationi ejus de creatione primorum parentum attendisse. Legitur Deus Ada-mo animam inspirasse, Gen. 2.

7. in Evæ vero creatione hujus actus nulla fit mentio , Gen. 2. 21.  
 22.Unde facile appareat, alio quodam modo animam in corpus Evæ, quam Adami, venisse. Cum vero aliis vix concipi possit modus, quam constam illam, ex qua ædificabatur Eva, a corpore Adami animato desumtam, fuisse animatam: conjicere licet, Deum in creatione communis matris ostendere voluisse, quo modo posteri propagarentur. Quod si sanctis Dei eloquiis fidem alioquin & obsequium debemus: utique eadem, quorum beneficio initia generis humani nobis innotuere, & in hoc rei momento veneremur oportet, qvum hinc rationem propagationis colligere præstet, quam incertis de re abstrusa conjecturis indulgere.

## §. VIII.

CUM itaque hinc patere pu-  
temus, animam propa-  
gari: restat, ut inquiramus mo-  
dum, quo propagetur. Sed igno-  
scas Benevole Lector, si exspe-  
ctioni tuæ hac in re minus fa-  
tisfecero. Cum enim nec essen-  
tiam animæ perfecte quisquam  
explicuerit, meum ingenium  
tantum sibi polliceri non audet,  
ut hanc propagationem, propri-  
etatem ejus difficillimam, plene  
& apodictice demonstret. Da-  
bo saltem operam, ut absurdum  
rationibus probabilibus evitare  
queam. Afferit Moses, ani-  
mas ex lumbis & femore pa-  
tris egressas, non adjecta men-  
tione matris: quæ tamen non  
excludenda videtur, sed simul  
significanda. Verisimile enim  
est, sacrum scriptorem tecisse  
patris expressam mentionem,  
cum

cum sit caput familiæ, a quo posteri nomen trahunt, intellecta tamen pariter matre. Nam alias nec ipse Salvator haberet animam rationalem, cum ad humanam suam naturam ignoret patrem. Nec a sola matre, consueto quidem naturæ ordine, propagari potest anima, cum hic diserte pater nominetur.

§. IX.

**S**uperest igitur, ut ab utroq; parente originem ducat. Non quidem ita, ut dimidiā pater, dimidiā mater contribuat; sed utrumque parentem in ipso conceptionis momento aliam a suis diversam animam feminis beneficio cum infante communicare, verisimile est. Cum enim videamus, etiam in materialibus candelam unam ab alia, sine hujus detimento, incendi

cendi posse: nulla hactenus ratio nobis constat, qua sufficienter persuadeamur, idem in spiritualibus & immaterialibus, modo sibi conveniente, fieri non posse, ut anima filii a parentū animab⁹ velut incendatur. Non tamen ita, ut Deus sit prorsus ab hoc opere exclusus: eum enim tam generali illa, qva ordinem naturæ conservat, quam speciali actione adesse constanter asseveramus, credimus. Adeo ut vel hinc satis sibi constet majestatis divinæ elogium, quo dicitur יְצַר רُוח אֶרֶב בְּקָרְבֵי *formans spiritum hominis in interioribus ipsius*, Zach. 12. 1. pariter atque *corpus in utero materno fingere dicitur*, Job. 10. 8. &c. Psal. 139. 13. &c. Jer. 1. 5. quod tamen omnes de solo ad mediata corporis propagationem concursu intelligunt.

**N**Ec immaterialitati animæ ab  
hac propagatione timen-  
dum est. Non enim putamus,  
animam ex ipsa materia produ-  
ci: sic enim procul dubio eva-  
deret materialis: sed saltem, in-  
vel cum materia originem adi-  
piisci suam. Adeo, ut pars ma-  
terialis a materiali; spiritualis  
hominis a spirituali propagetur:  
semen sit saltem quasi vehicu-  
lum animæ, cui insideat. Sed  
putabunt fortassis multi, nos  
φιλοσόφως in hac materia verla-  
tos, qui neglecta rei demonstra-  
tione, a posteriori tantum, ea  
affingamus animæ, quæ per na-  
turam admittere nequeat, cum  
propagatio spirituum sit ἐν τῷ  
ἀνθρώπῳ. Verum enimvero per-  
ficiissimum habemus, ut essen-  
tias immateriales omnes, ita  
men-

mentis nostræ naturam esse ejusmodi, quam mens ipsa nunquam plene adsequi possit: ut arrogantia sit, ceu temere statuere, quæ bene haud cognoris; ita præfracte negare, quæ ignores. Interim quælo, rogamus te, censor, ut desiderium orbis expleas, & ipse viam hic nobis præreas, spiritum, aut saltem animam nostram ita exakte & rotunde, terminis non negativis, sed positivis definiendo, ideamque ejus plenam siſtendo, ut luculenter inde pateat, quæ sit intima ejus natura, quis cum corpore nexus: quo tandem, sublato omni dubio, quid ei competit, quid non, rite dignoscamus. Sed dum hoc præstitum iri desperamus, tuto nos tantisper his adquiescimus argumentis, a posteriori, h. e. testimonio spiritus Divini, petitiſ:

tis: qui ut auctor ipse intimam operis sui essentiam penitus novit; ita his rationibus de propagatione animæ allatis fallere nos minime potuit.

### §. XI.

**Q**ibus unicum adhuc, idque forte palmarium in hac materia, adjicere expedit. Nam quemadmodum videmus podagricos aut alia labe infectos parentes saepe hos naturæ nævos in posteros transmittere: ita & peccatum naturali ferie in posteros Adami omnes descendit. Quod certe fieri non posset, nisi animæ propagarentur. Recte enim Augustinus: *Si anima ex Adam propagata non est, innocentissima est.* Non enim in ipsa anima hic reatus resideret, quippe quæ antequam creatur, nihil boni aut mali patrare potuit: neque

que percipi potest, quomodo ante unionem cum corpore se polluerit, ut infra ostendetur. Si vero ex corpore reatum hunc contraheret, omnis certe anima corpori conjuncta toxico hoc inficeretur: qvod tamen in anima Christi factum fuisse, nemo statuerit. Divina quoque justitia hoc paecto periclitaretur, si animam aut injustam crearet, aut mundam impuro intruderet corpori, necessario contaminandam. Sed neque fanus quisquam adsequi valet, qua ratione peccatum, ut vitium morale, incorpore queat residere, & corpore solo propagari. Anima enim est primarium peccati subjectum; corpus tantum instrumentum, quo patratur.

## §. XII.

**E**T quamvis aliquis statueret, affectus illos, qui nos nascentes

scentes comitantur, malos a corpore esse, cum sanguineos in voluptates, cholericos in ambitionem, melancholicos in avaritiam prono quasi alveo ruentes videamus: non tamen valet consequentia. Præterquam enim quod phlegmatici hoc modo ut omnibus pæne affectibus, ita peccati labi liberi essent; observare saepe licet, sanguineos & cholericos æque, immo nonnunquam majori nisu divitiis inhiare, ac melancholicos, quum diversa institutione, exemplis, aliquisque caussis eo inclinantur: malum tamen ipsum nihilominus manet, sed alio se exferit modo. Unde patet, originem mali non esse a temperamentis corporis: quamquam haec, si vitiosa sint, ad quædam vitia procliviores reddant. Sed radix ipsa mali altius in anima hæret, unde illa

com-

communis omnibus ad malum  
inclinatio est ingenerata. Meri-  
to ergo verbis Hilligeri conclu-  
dimus, animam ipsam, que vir-  
tute se augendi ingenita est predi-  
ta, in ipso generandi actu, positis  
omnibus ad generandum requisitis,  
vi benedictionis divine, ejusdem, cu-  
jus ipsa est, essentiae substantiam,  
modo rationi non satis cognito, pro-  
ducere.

## CAP. II.

### CONSPECTUS.

**S**トイorum, Pythagoricorum,  
Platonicorum, Cabballistarum,  
Planeri, Philosopherum  
Mosaicorum, Leibnizii, Rüdi-  
geri, Creatianorumque hac in-  
re sententias breviter produci-  
mus, examinamus, rejicimus.  
Colophonis denique loco eos,

qui

qui suam de origine animæ sus-  
pendunt sententiam, contem-  
plamur.

## §. I.

**I**AM supereft, ut adversario-  
rum videamus & examine-  
mus sententias. Cum vero iñu-  
meræ fere sint, præcipuas faltem  
observasse sufficiat. Harum pri-  
ma hoc loco generatim notanda  
est, quæ ut animam primi ho-  
minis ex essentia divina emanaf-  
se, ita hinc omnes posterorum  
animas ejusdem esse originis,  
credidit. Propugnatores habuit  
in antiquitate plurimos, *Pythago-*  
*ricos*, *Platonicos*, *Stoicos*, alio : &  
hodieque nonnulli *mysticorum*, ac  
inter hos *Pairetus*, ei patrocinan-  
tur. Sed si hæc de animarum  
ex essentia divina emanatione o-  
pinio locum inveniret, errorum  
& absurdissimorum dogmatum

cater-

caterva nos obrueret. Simplissima illa Numinis essentia in partes divelleretur, homo per naturam esset Deus, divina denique essentia gravissimis tam peccatis quam poenis, immo damnationi æternæ foret obnoxia.

## §. II.

**S**ecundo loco *αἰσθαψύχων*, seu animæ ex uno corpore in aliud transmigrationem contemplari lubet. Pythagoras & Manichei, ut alios taceam, eam asseruere. Horum alii animam humanaam ad hominem solum aliud, alii ad corpora etiam belluina divertere propugnabant. Sed scriptura teste, anima post suum a corpore discessum seorsim subsistit, non nisi proprio corpori, die judicii instaurato, unienda. Rationi quoque diligentius excusflæ

cūstæ facile apparet, absurdum  
esse, animam humanam corpus  
bruti animatis intrare: tolleretur  
enim inter animalia rationalia &  
irrationalia discrimen, dum ani-  
ma bestiæ intellectu & immor-  
talitate gauderet: aut statuenda  
esset essentialis ejus immutatio,  
dum in naturam rationis exper-  
tem transformaretur. Sed ne-  
que intellectui nostro natura sup-  
petunt rationes, quæ probabi-  
lem reddant illam inter huma-  
na corpora animarum migra-  
tionem.

## §. III.

**T**ertio *Plato* prodeat loco.  
Hic animas productas qui-  
dem essentiali illa a Deo eman-  
tione, sed omnes simul & semel,  
easque, postquam lapsæ fuissent,  
e cœlo in corpora detrudi sta-  
tuebat. Vestigia ejus e Christi-  
anis

anis pressit *Origenes*, & recentiori ætate *Christophorus Sandius*: ita tamen, ut hi animas esse creatas, non ex essentia divina effluxisse crederent. Cum vero Moses, gravissimus scriptorum, non nisi duorum hominum, Adami & Evæ, tam in historia creationis, qvam lapsus illius nunquā satis deplorandi, faciat mentionem: immo Paulus aperte pronuntiet, Rom. 5. 12. per unum hominem peccatum in mundum intrasse: non video, qvo jure ii, qui hanc fovent sententiam, nitantur. Namque s' wave tantum est somnium opinio illa de naturali animæ separatae statu, ejusque contracta sine corpore noxa, nec non in pœnam tantum facta unionem cum corporibus, iisque repetita transmigratione variis: qvum contraria omnia revelatione divina universa doceamur.

**E**andem fere *Judei*, eorum vero præcipue *Cabbalistæ*, inflant tibiam, sono paullulum variato. Illi omnes animas in Adamo existitisse, & una cum eo lapsas esse nugantur. Hinc per Adamum protoplasten, quem **הָאֵל** vocant, non personam unam, sed universum animarum genus, in diversos ordines & gradus distributum, & Adamo ut duci subiectum, intelligunt. Sed cum in hujus sententiæ favorem nec vola nec vestigium in sacris occurrat pandectis, sed impiæ & fabulosæ illorum Cabbalæ innitatur illa, eam merito exsulare jubemus. Hi enim homines, Mosi alioquin pretium stantentes, facile poterant, nisi commentis suis occæcati fuissent, ex clarissima Mosis littera Gen.

2. 7. perspicere, non nisi unicam esse animam Adamo inditam.

§. V.

**A** Lii, inter quos est *Io. Andr. Planerus*, rem se acutetigisse putant, dum animas *unione*, ut loqvuntur, *producunt* contendunt. Volunt nimis, tum corporum stamina, tum animas universi generis humani in primis parentibus conditas esse, & ab iis in posteros propagatas. Esse quidem jam actu in parentibus utrumque principium; sed in generatione partibus illis rite unitis demum existere hominem. Verum & hic multa sunt quæ impedianter, quo minus huic sententiæ album adjicere possimus calculum. Namque ut taceamus, causam derivandi reatus hoc pacto non explicari, sed impli-

plicari: perabsurda obvenit rationi, ut illa tot millenorum staminum corporeorum materialis in uno corpore conjunctio; ita infinitarum animarum actualis in una anima præsentia, cum non appareat, quomodo eas complexu teneat: an una iis foeta sit, alia non item: an omnes similiiter. Quid si quis tunc vel præmatura morte, vel alio impedimentoo prohibitus, nullos, vel saltem non tot, quot in promptu habuerat, liberos generaret, quid de reliquis animabus fieret, non video. Deus autem & natura nihil faciunt frustra.

### §. VI.

**D**hilosophiæ Mosaicæ sectatores, ceu appellari volunt, aliam hoc in negotio sententiam fovent, quam ut Mosaiicam venditant. Prodeat ex eorum cœtu

Jo.

Jo. Amosus Comenius, qui asserti-  
onem suam Phys. XI. Cap. his  
exponit verbis: Quemadmodum  
corpus ex praexistente materia for-  
matum est, ita anima ex praexisten-  
te spiritu mundi. Hinc spiritum  
vitalem, animalem & mentalem,  
spiritus ex hoc mundi spiritu in  
diversam subtilitatem depuratos,  
quod verbum est ejus, putat.  
His positis, qvæstionem nostram  
soluturus, existimat radicem a-  
nimæ, h. c. spiritum vitalem &  
animalem, a parentibus propa-  
gari, mentalem vero a Deo for-  
mari. Sed nos valde dubitamus,  
etiam negamus penitus, Mosen  
huic paradoxæ addictum fuisse  
sententia. Præterquam enim  
quod spiritus mundi ens videa-  
tur rationis, nova hic creatio  
inducitur, quantumcunque eam  
emolliat Comenius. Varias præ-  
terea homini tribuit animas, vi-  
talem,

talem, quæ plantarum, animalium, quæ bestiarum, mentalem denique, quæ hominum sit. Sed trina hæc anima trinum requireret corpus, & sic homo triplicem generationem haberet, triplicem viveret vitam, triplici denique obiret morte. Rationi vero sese hæc res non aliter probat, quam animam hanc nostram unicam esse, quæ omnes harum animarum expedit actiones, & pro vario operandi modo variis insigniatur denominationibus.

### §. VII.

**H**Uic sententiæ affinis est illa, quam *Gothofr. Guilielm. Leibnizius* in Theodicea sua §. 91. orbi proponit. Afferit enim, animam percipiendi & sentiendi facultate gaudentem in semine parentum præexistere, quæ tempore generationis modo incognito

to

to evadat rationalis. Sed præter rejectam antea προτυπεῖς animarum, quanquam hic sensitivarum, mirus hic statuitur, perobscurus, rationique incongruens animæ rationalis ortus. Qvi si vi harmoniæ cujusdam præstabilitæ fieri dicatur, inexplicabilis illa est, & vereor, ne in fatum ipsum Stoicum abeat. Sin autem per creationem exsistat, peccatum hoc modo propagari non potest, quippe quod non in sensitiva, sed rationali habitat anima: verum culpa sic in Deum transferenda, isque iustitiæ arguendus est. Adeoque vir illustris in opere isto ingenuo, quo caussam iustitiæ divinæ in demonstranda origine mali adversus dubia P. Bællii vindicatum ivit, candem vel inscius evertit.

### §. VIII.

**U**T crassam materialistarum  
C opini-

opinionem , qva anima nostra materialis plane & corporea asseritur , sicco prætereamus pede: paullo subtilius *Andreas Rüdigerus* , animas ex materia formatas vult . In **Physica** enim sua **Divina** , quam A:o 1716. edidit , lib. I. Cap. II. Sect. I. §. 9. communē requirit corporis & spiritus substantiam , qvam materiam primam vocat , & definit , quod sit *Substantia finite presens , cum applicatione determinata ad spatum , & partibus :* salvo tamen semper reali , inter spiritus corpore carentes , & corpora physice materialia , discrimine . Sed nos aliam ignoramus materiam primam , quam rudem illam indigestamque , cuius meminit Moses , molem , ex qva animas immateriales formatas esse nemo demonstraverit . Nec fingi sine incommodo potest aliqua communio

muniſ materia; ex qua diverſiſſimæ hæ ſubſtantiaſ ſalviſ utrinque facultatibus prodire poſſent. Præſertim cum Rüdiger animaſ extenſaſ & partibuſ conſtañteſ ſtatuat, periclitatur non ſolum excellentiſſima illa facultaſ, cogitationum ſeu rationiſ activitaſ, ſed & ipta animarum immortalitaſ.

### §. IX.

**V**ideamus denique eos, qvi animaſ humanaſ quotieſ- cunque aliquiſ generatur & na- ſcitur, a Deo creari & corpori infundi ſtatuunt. Præcipui ſunt Pelagiani, Scholastici quidař, Pontificii ferme omnes, & non nulli inter Evangelicos, ut Ph. Melanchthon, Georg. Calixtus, Hornejus, Drejerus, Stahliuſ & alii. Aſt hæc quotidiana creatio Di- ynae ab omni creatione quieti repu-

repugnat. Nec si animæ crea-  
rentur, inveniri potest modus,  
qvo peccatum ad homines per-  
veniat. Per animam ipsam aut  
corpus non potest, ut priori c.  
§. XI. probavimus. Restat ut  
Deo culpam imputemus: qvod  
blasphemum omnis pia dicit a-  
nima: ille enim, ipse auctor na-  
turæ, eam servat, non vitiatur.  
Ut jam non attingamus dissidia  
de tempore conjugendæ cum  
corpore animæ, neque seorsim  
referamus eorum opinionem,  
qui *animam in materiam induci* di-  
cunt, vel non definientes unde  
existat, vel ab astrali essentia  
aut aliunde eam derivantes.  
Quemadmodum neque nostrum  
nunc est absconas de animæ es-  
sentia hypotheses excutere, eo-  
rum præsertim, qui *inane* aliquod  
*vacuum*, aut *accidens* tantum  
seu *harmoniam corporis*, animam  
esse opinati sunt.

## §. X.

IN tot sententiarum divortiis  
 haud pauci optimæ notæ The-  
 ologi pariter ac Philosophi in-  
 malunt, scire se habere ani-  
 mam contenti, qvamvis origi-  
 nem ejus nesciant: adeoque o-  
 riginem animarum inter myste-  
 ria naturæ referendam putant.  
 Sed cum illa, qvam nos elegi-  
 mus, sententia, verbo Dei, nec  
 plane absurdis ratiociniis sufful-  
 ta sit, existimaverim eam esse  
 amplectendam: in primis cum il-  
 li, qui sententiam hic suspen-  
 dunt, nullam inveniant viam,  
 qua Deum injustitiæ nota in ar-  
 ticulo de peccato originis firmi-  
 ter liberare possint: hic contra  
 alias indissolubilis nodus, a no-  
 bis, qui propagationem animæ  
 propugnamus, optime solvatur.  
 Plura in illustri hac materia me  
 temporis, ingenii & rei librariæ  
 penuria proferre vetat: ideoque  
 subsisto.

In Disquisitionem Philologico-  
Physicam de Animæ Humanæ  
Propagatione,

Pereximii Eruditissimique Juvenis,  
Dn. CAROLI FRIEDERICI  
MENNANDRI,  
Amici ac sympathetoræ Honora-  
tissimi,

Fortiter en! scandit MENNANDER  
restra Lycei:  
Gratuler hos ausus. Præmia magna  
ferat!

Gratulabundus calamo quamvis  
obtusore scripsit  
ERICUS CAJANUS,  
E. N. E. F.

Sin Wän och Landsman,  
Herr CARL FRIEDRICH  
MENNANDER,  
Så han uti Abo tappert Disputera-  
de om Menniskio = Sialens fort-  
plantande /

Hen uppå dygdens väg helt oförträten  
vändrar

Df

Och ingen muddo spar, men fråget håller på;  
Han såkert dygdens lön får fram för mån-  
ga andra,  
Som med ett stort besvär på dygdens vä-  
gar går.

Herr CARL MENNANDER du ett såkert  
vitne blifwer,

Som hurtigt wantrat fram, och ingen mudd-  
do spars;

Tjår jag såker på, man honom lönien gif-  
ver;

En lön, en åhrekrantz, som är af båsta art,  
Emedlertid jag wil och honom lyckö önska,

Ett mått väl öfversult af all fördöjlighet,  
Att han på lyckans väg må ständigt kunna  
grönffa,

Och sidst som dygdens vän bli frönt i et  
wighet!

Gågnade således

JOHAN SWAHLN,

Johansson.

Viro juveni,

Literis & moribus conspicuo,

Peregrinio,

Dn.CAROL.F.MENNANDRO,

Amico dilecto,

Si vere amicitiae leges postulant, ut  
amicus amici rebus secundis, per-  
inde ac suis detectetur: ego certe amici  
nomine essem indignus, si hac occasione  
gandium

gaudium meum publice non testarer. Ab  
eo usque tempore, quo mibi proprius in-  
notescere capisti, mores tuos pulcherri-  
mos, animum candidum, ac in primis  
summam in litteris diligentiam, ita ex-  
pertus sum, ut, nisi modestia tua id  
grave futurum scirem, hac occasione  
in laudes tuas ire, meum esse ducerem.  
Non vero est, ut plura hic ae laude tua  
adjiciam, si quidem egregia tua, de pro-  
pagatione anima dissertatione, magna cum  
lucubracione edita, diligentie & erudi-  
tionis testis est certissima. Hinc vere  
ac non fucata amicitiae debitum ut ex-  
solvam, Tibi ex animo gratulor, cum  
primis summam in hac dissertatione elab-  
oranda industriam: gratulor optimo  
tuo Parenti, te filium paternis impensis,  
paternoque amore dignissimum: denique  
cum reliquis tuis amicis, tum mihi et-  
iam de te gratulor. Calidissima insuper  
fundo vota, velit Summum Nomen ita  
copeis adspirare tuis, ut inter Apolli-  
nis strenuos Alumnos non postremus, prae-  
mio aliquando, quod meritus es, ma-  
steris.

Ita animo magis quam cala-  
mo uovet

Joh. Dan. Roos.

Amico suo Dilectissimo,  
Dno. CAROLO FRIDERICO  
MENNANDRO,  
De propagatione animæ humanæ  
erudite differenti, hocce dedit  
σύγχαρις:

Ἔτι Βαρεὺς κάμαλος οὐδὲ δεινός, ὁ Φύσις  
εκένθετος  
Γνωρίζει τὸ δε γὰρ βαθέας κατάκειται αἴσιον  
σω.

Τὸν σοφῶν κάπιδον πολλὸς, χαλεπώτερον  
του εἶναι,

Πάντοτε διεργίσκειν τοῖς αἰδεσσον αἱηθέες.  
Ἐν τατῷ μαλακῇ τῷ σεργίγματι ἐξειδεῖ-  
κες,

Οὐ σὺ διάσκεψιν πόρες ἄμιν, φίλτατε,  
λαμπεῖν.

Καὶ νῦν γαρ εἰμελέργος περὶ ψυχῆς πολλαὶ  
έασσοι

Γνῶμαι μὲν, πολλὴν γε σοφοὶ ὀροῦσιν αἱ-  
μάλλαν

Τῆς δὲ ἐπὶ τῇ γενέσει, οὐδὲ ἐῇ εἰς σώματή  
ἀγωγῆ.

Ως δὲ σοφῶς σπερδήσει, ἵπατ δύσκολα,  
δηλοῖ

Ταῦτα, παρεγένετο ἀδόπιστος διάτελος τῷ μαρτυρίῳ

51.

Οὐλε πόνου γὰρ φευδοσύνης φων φυγίσατ<sup>ανεῖλες\*</sup>

Αὐτὸν λείζου δείκνυτο λεγοντος σφέσθοντες οὐδείς.

Συγχαίρω τοίνυν παιρστον, Φίλε, Τηνδέ την  
έσθλης,  
Καὶ τοι ἀπ' ἐνδοῖαῖς ποθέων νοὸς ὄλβια  
πάντα.

Michaël Lithovius  
Ostro-Born.

Cum daret ingenii specimen pro-  
bus ipse politum,

Egregius Juvenis

Dominus CAROLUS FRIDERI-  
CUS MENNANDER,

sollers Studiosus Philosophiae,

Hoc anagramma leni cupiebam scribere  
canna:

CAROLUS FRIEDERICUS

MENNANDER Ostro-Botn.

per anagramma mutato F in C.

NUNC VIDES OLORES SCAN-  
DERE CIRRAM.

PHæbe VIDES multos NUNC CIRRAM  
SCANDERE OLORES,

Dulcia dectiloqua qui extendunt gut-  
tura voce,

Seque probant Musis ter trinis invigi-  
lasse,

Exspectant, cingas illorum tempora  
lauro.

Inter eos etiam numeraris, Candide A-  
mice,

Pulpita dum Pindi concendis lau-  
de per ampla,

Castor

*Castaliosque probas Te s̄epe hausisse li-  
quores.*

*Non igitur possum, verum quin te-  
ster amorem,  
Successusq; Tuis latus conatibus optem.  
Vive Deo gratus, patriæ quoque com-  
modus esto.*

*Atque Tuis adfer solatia, gaudia mille.  
Abst⁹ & ille dies mulcet obscurus in  
Quo terras linques. Libitine morsibus  
egri.  
Cum tandem terris valedices cœlica  
regna*

*Te excipient. Carmen voto claudetur  
in uno:  
CVnct potens DoMINIIS trIBllat tibi  
prospera qV&VIIs.*

*Zykl d. VI. Maii*

*QVa LIngVA atq; Ve anImo*

*ZaCharlas DahL*

*Ostro-Brem. 1618*